

Wiener Stadt-Bibliothek.

T 39749 B

DIVUS
LEOPOLDUS
SANCTUS AUSTRIÆ
MARCHIO,
VIRTUTUM AUSTRIACARUM
AUTHOR & FUNDATOR,

CORAM

Senatu, Populôque Academico,

Cum

INCLYTA NATIO
AUSTRIACA

IN

Principe D. STEPHANI Proto-Martyris Basilica

ANNUAM

EJUSDEM TUTELARIS SUI
FESTIVITATEM RECOLERET,

Oratione Panegyricâ celebratus,

DEFERENTE

ADM. REVERENDO AC CLARISSIMO PATRE

MICHAELE HOFMANN,
E SOCIETATE JESU,

SS. Theologiæ Doctore, ejusdemque in
explanandis Sacris Litteris Professore Ordina-

rio, & p. t. Inclytæ Nationis Austriacæ

PROCURATORE,

ORATORE

Perilliosè, ac Ingenuo Adolescente

JOANNE FRANCISCO RAYMUNDO

ALBRECHT ab ALBRECHTSBURG,

S. R. I. Equite, & Inferioris Austriæ Provinciali, Poëseos Candidato.



ILLUSTRISSIMO

DOMINO, DOMINO

FRANCISCO

ANTONIO

NOBILI DOMINO

A

QUARIENT & RAALL,

DOMINO DOMINIORUM

Raabs, Collmüz, Pfaffenschlag,
Rädl, Rauchenstein, Winckerstorff,
& Vesten-Rohr,

Sacræ Cæsareæ Majestatis

AULÆ CONSILIARIO,

NEC NON

Archi-Ducatûs Austriæ

Inferioris

VICE-MARESCHALLO, &c.

DOMINO, DOMINO

PATRONO GRATIOSISSIMO.



ILLUSTRISSE DOMINE,
DOMINE
Patrone Gratiofissime.



*U*b Illustrissimo Nomine Tuo *Musæ* meæ
in publicam lucem prodire gestiunt, ILLU-
STRISSE DOMINE, quia splendo-
ribus *Ejusdem* se se noverunt illustrandas! *Aspi-*
rant quidem Musæ Magnatum esse Sociæ, & Po-
tentibus ire comites, at me ad Julii, magnorum-
que Caesarum solia, utpote qui radios tantæ Dignitatis pati non bene-
doctus etiamnum ad tantæ lucis fulgorem caligo, absterret Maje-
stas; ad TE verò & Tua in me Benignitas, Sapientia, & non im-
par Virtus, quam domesticam Austriacis inscripsi, invitant. Cui
enim potius me, imbellèmq; facundiam meam consecrarem, atque
Ei, à quo profectum intelligo illud omne, quo possim vel tantillum
esse disertus. Quæ & quanta in me, posteaquam supremi rerum
mearum Tutoris munus benignissimè ab obitu Parentis mei susce-
pisti, contuleris, referre supersedeo, ne audaci conatu Tuorum in
me meritorum imminuam magnitudinem, vel eorum commemora-
tione Tuam vulnerem modestiam suarum laudum inimicam. Pri-
mitias solum, quod beneficio Tuo possum, facundiæ meæ TIBI dico
& dedico, quem non postremum felicitatis meæ principium agno-
sco, vellem, ut in homagium isthoc suscipias ingentis debiti, non
hereditariâ modò obligatione in me transfusi, sed novis etiam &
quotidianis meritis à me contracti. Deinde, quanta Sapientia Tua,
ILLUSTRISSE DOMINE? Satis eam superque demonstrant

complures anni, quibus maximâ Nominis Tui cum commendatione negotia inferioris Austria ad Casarea Aula Cancellos referebas, quo etiam merebaris, ut eidem Austria Vice-Mareschallus præpõnereris. Nec abs re: An non enim in dandis Consiliis Navum & Prudentem, in excogitandis Sagacem, in ponderandis Solertem, in extricandis felicem, in perducendis ad optatum finem Constantem admirata fuit Austria, & etiamnum admiratur. Profectò, quidquid etiam elegans mansuetæ litteræ possident, Tuum est; quidquid sublime severiores disciplina recondunt, Tibi patet; & quæ antea sæcula egerunt, ita fidâ custodis memoriâ, ut, quotiescunque libitum fuerit, in nostrorum temporum usum depromas. Agerem hîc pressius, sed nolo Sapienciam Tuam verecundiæ amantem ledere, cui, quemadmodum patrare maxima proprium est, ita, quæ magna sunt, subducere oculis, consuetudo. Illud solum addam, sic Te Sapiencia Virtutem quoque conjunxisse, ut, qui Te videt, Virtutem ipsam propè oculis usurpare dicendus sit. Certè ardentem in DEUM Amorem Tuum, æqualem succurrendi singulis Charitatem, profusam in egenos Liberalitatem & Clementiam, moderationem illam singularem, invariabilem denique & prosperam inter æquè ac adversam fortunam eundem semper animum boni omnes suspicimus, & eo quidem animi affectu suspicimus, ut nihil magis clientum Tuorum votis supersit, quàm ut ad perenne Austria augmentum, Tuorum verò solatium & utilitatem diutissimè TE sospitem intueamur, qui numquam periclitari desideramus, quantum aliquando desiderium TUI sis relicturus. Et talem ac tantum TE non tam præclara Majorum facinora, quàm propria merita effecere: Hæc nôsse ulterius qui volet, non me, sed communem famam laudum Tuarum maximum præconem consulat, aut certè eorum amplitudinem ex Casareorum favorum prærogativis metiatur. Austriacas itaque virtutes à Divo LEOPOLDO fundatas, à me Nomini Tuo inscriptas Austriacâ humanitate excipias ILLUSTRISSIME DOMINE, eo quidem proniore animo, quo gravioribus meritis Austriam TIBI tenes obstrictam: aliquem iis in Humanitatis Tux, ac Benevolentia scriniis locum admitte, quibus ultra id, quòd per se ostentant, id coronidis in vicem additum cupio, ut pro monumento serviant, quo in Tuam me Clientelam iteratò transcribo, qui aliunde sum

ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TUÆ

Clientis Infimus

Joannes Franciscus Raymundus
Albrecht ab Albrechtsburg.



ORATIO.



Uòd si quis Austriam, Regnatricem Orbis Romani Provinciam victoriis, peritissimis regnandi artibus, & summâ rerum omnium felicitate in eam assurrexisset magnitudinem arbitretur, cui omnia exterarum gentium, potentissimorumque populorum florentissima regna, ipsa etiam memoriâ sæculorum celebrata veteris Imperii majestas vix possit conferri, eundem minimè à veritate, Vestroque judicio aberrare longiùs existimavi, *Reverendissime, Perillustis, ac Magnifice Domine RECTOR, Admodum Reverende, ac Clarissime Pater Inclytæ Nationis Austriacæ PROCURATOR, Senatus, Populusque Academice.* Quanta enim, jam usque inde, quo Habsburgica Domus Austriacæ inserta Cæsareum cæteros supra caput extulerat rerum gestarum amplitudo? quantus crescentis indies nominis Austriaci splendor? ut fulgore isto propè Provinciæ omnes, quas etiam Sol communis luminum parens non adit, fuerint illustratæ. Vix Austria Romano Imperio, quo etiam divino digna judicio videbatur, dominatrices manus admoverat, cùm haud interruptâ temporum serie ad nostra usque tempora, quæ ardentibus etiamnum circumdati bellorum flammis vivimus, bello laceffitæ bella bellis erant profliganda: aliud enim ex alio nascebatur, imo idem signis non rarè, gentibusque, solis quandoque nominibus mutatis recrudit bellum, itaque excrescebat continuum, ut viderit quandoque Orbis Austriacorum bella præliorum exitu terminata, Cæsareum exoneratum galeâ caput, pectusque thorace nudatum videre vix, & ne vix quidem potuerit. Verùm accommodatiùs nihil gloriæ Austriaci Nominis augendæ, quàm sic fulmineo bellorum ferro lacessi, cùm vel ideo nasci debere visa sunt bella, ut virtuti, dignitatique cederent Austriæ imperantis. Eas enim messuit è ferreo hoc se-

mento victoriarum laureas, quas turbida ambitio, ut noctua
luci, sic gloriæ Austriacæ nequidquam invidiosa ibat deper-
ditum, adoraret, & è quibus Austriaci Nominis splendor
major semper, magisque suspiciendus crescebat posteritati.
Certè vicere toties ferè Austriacis Alaudis immixtæ Aquilæ,
quoties descendere in arenam, & si quandoque visæ sunt
inimicorum armis succubuisse, succubuere, ut è casu glorio-
siores resurgerent, ostenderentque Orbi, quælibet sæcula Au-
striam amplificatâ indies gloriâ reddidisse digniorem. Sic
victoriæ quidem Austriam fecere domesticis magnam, ex-
terisque admirandam: quantam subinde reddiderint pacis
tempora, regnandi artes, adepta conjugii regna, & ipsa
etiam, quam meritis in obsequia sua jugârunt, secunda Au-
striæ felicitas vel Vestrâ sententiâ imperitus inconsultusque
audirem, si adferre in medium, infacundâque deprædicare
eloquentiâ contenderem. Volumina exigit gloria illa, quam
Austria pacis tempore nanciscebatur. Quod enim Austriæ
à bellis supererat, datum quantocyùs constituendis quàm
optimè rebus publicis, colendis bonis Artibus, servando
sancitis legibus Imperio; prospectum denique, ut res, fortu-
næque regnorum efflorent, quibus adeo Austriacum no-
men Orbi inclaruit, ut livorem, certissimum alienæ magni-
tudinis signum, facilè in æmulis accenderet, optimus verò
quotusquisque verecundo vultu tantæ gloriæ, tantique splen-
doris accederet admirator. At, per me licet, summam apud
gentes omnes dignitatem pepererint Austriaco Nomini re-
lata bello pacèque decora, pietatem tamen non adeptam il-
lam, & studio quodam petitam, sed innatam Austriacis ferè
unum illud, quo Austria Magna ubique terrarum audiri
commeruit, esse constituo, Vosque constituetis, Senatus,
Populusque Academice; Deum immortalem, quanta hæc,
quanto semper studio custodita? ut nullæ ferè gentes ita à
nobis terrâ marique sejunctæ, nullæ potentiâ ita elatæ, quas
non Austriacæ pietatis splendor percelleret, cogerétque vel
invitos ad hanc virtutum lucem respectare attonitos. Vi-
ctoriis etiam, regnorumque amplitudine, si quandoque Au-
striam se minorem jactabat ambitio, facili tamen manu
palmam cedebat Austriacæ Pietati. Quin, ut nemo ibit infi-
cias, dum sago, togæque inclaruit Austria, pietas erat, quæ
suam victoriis magnitudinem, suam paci dignitatem ador-
nabat. Gerebantur bella ab Austria, ut aut oppressos ex-
tera dominatione levarent, insidias, vim, aut furorem
ambitionis à subjectis populis arcerent, ut rem Christianam
à cla-

à clade ultima, exitiôque eriperent, aut demum ut folium suum à violento vendicarent possessore. Pacis verò ornamenta quærebantur, ut quotidianis bonum publicum, Religioque cresceret augmentis. Pietatis itaque fama si Orbem univèrsam in sui rapuit admirationem Austria, quantum, *Dive* LEOPOLDE, *Sanctissime Austria Marchio*, boni omnes, & nos præprimis Austriaci, Tibi debemus, à quo profectum intelligimus, quidquid virtutis in Austriacis Principibus suspicit Orbis, & adorat? prævivisti Tu virtutum, pietatisque semitas, quarum vestigia constantissimè semper preffit subsequa ut provinciis, sic virtutibus Austria. Paterè solùm, *Sanctissime Marchio*, ut hoc cumulo laudum Tuarum immortalium accedat, si Te Pietatis Austriacæ Authorem, Fundatoremque prædicâro, ostenderoque, Te præprimis illâ virtutum luce emicuisse, quam in posteros omnes Austriæ Principes ceu nascendi jure conspiciamus transfusam.

Sæpe tacitâ illud ego mecum versabam mente, quid esset, quodd è Principibus de religione, republica, & præprimis de virtute quàm optimè meritis censeantur paucissimi, qui cœlo illati publicâ veneratione & cœlesti cultu honestentur. Non ego de exteris mundi partibus loquar; Europæ, à quo Christum agnoverunt, provinciæ quàm pietate conspicuos, religionis zelo ardentis, omnique virtutum genere ornatos Principes habuère? quàm arcto tamen simul numero complexæ sunt, quos templa & aræ nobis monstrarent, quibusque divos tribueremus honores. Laude istâ, & hoc Sancti titulo Hispania unum ornat Ferdinandum, suum Gallia Ludovicum, Ericum Dania, Germania Henricum & Carolum, Hungaria Stephanum & Ladislaum, Bohemia Wenceslaum Sanctonum fastis illatum veneratur. Non ita tamen aut suorum Principum ignarus est populus, ut quæ memoriâ posterorum celebranda sunt pietatis facinora non illico persentiscat, neque ita clam virtutes ab iis, qui folio cæteros eminent, geruntur, ut non confestim sanctitatem quamdam publicam promereantur. Ita enim constitutum, & subditorum animis innatum esse, quis non videt, ut facta quælibet regentium ex virtutis etiam solùm imitamento sibi pretium promerita syderibus & cœlo quantocyùs invehat tenerrimus parentium affectus. Quid itaque est, quodd è plurimis adeo raros Sancti titulo insignes numerent regna? Credo equidem ego, id evenire, quodd unum etiam duntaxat è plurimis publico honestatum cultu venerari sit fatis, ut subsequis folio Principibus is esset author, fundatôrque pietatis, quam co-

lerent; præirétque viam, quâ ut gubernationis artibus, sic virtutum imitatione DEO quàm proximè accederent. Non enim humanis solùm in artibus id usuvenit, ut præclarissimus quisque & optimus artis illius censeatur fundator, in qua aut primus, aut præ cæteris majori cum laude versabatur, sed & gratia plerumque naturam, humanâsque artes imitata virtuti præfigit authores, quos cæteri omnes Cynosuram velut intueantur. Austria itaque dum è plurimis & virtute strenuis, & pietate gloriosis Sancti titulo insignem censet Divum LEOPOLDUM, tantùmque si in posteris obstupescimus virtutis ornatum, quis ibit inficias, LEOPOLDUM denique esse, qui in Austriacis Principibus pietatem fundavit? In id unum ergo incumbendum mihi jam esse video, ut Vobis ob oculos ponam, quantum iis in virtutibus, quas Austriacis proprias totus Orbis deprædicat, excellerit LEOPOLDUS. Neque ego ibo per singulas, monumenta enim illæ sibi & annos deposcunt; cultum illum duntaxat in DEUM, Cœlitésque singularem, dein liberalem & profusam in pias causas Munificentiam, tum Clementiam Austriacis propriam & domesticam in medium adducam, ut hac ex umbra cæterarum virtutum splendor luculentè magis conspiciatur.

Primum è bene multo virtutum ornatu, quæ Austriacis propè in naturam transivère, facilè locum sibi vindicare videtur cultus ille in DEUM, Cœlitésque singularis; Hoc uno Austriam à reliquis florentissimis pietate regnis fecerimus. Quid? adeo sanctus semper, commendatúsque Austriæ hic cultus, ut si quandoque alio virtutum genere Austriacos Principes vincere nitebantur exteræ provinciæ, territi tamen fuerint hujus magnitudine pietatis. Non ego hîc è cineribus suis & umbris in publicam lucem evocabo Austriæ Principes Albertos & Rudolphos, Ottones & Hermanos, Fredericos, & Maximilianos, Ferdinandos, Carolos, & Leopoldos, quorum ut spectatissima fuère virtutum ornamenta, ita publicâ in DEUM veneratione, cultúque Orbi extitère admirandi. Te solùm testem compello, Vienna, urbium jam Domina & sanctissimum Austriacorum Principum Cæsarúmque domicilium! ullâne in te DEO, Superisve dicata ædes, quæ non Austriacam pietatem in genua demissè procumbentem, resonantes altiùs preces, erectas ad cœlum manus, amorem Numinis, insolitis toto vultu ardentem flâmis fuisset admirata? ullâne urbis via aut platea, quæ ingressum ad omnem pietatis speciem compositum, quando solemnes inter supplicationes
Austria-

Auftriacos Principes populo miscuit demissio, non obstupuisset? ullane Religiosæ familiæ domus, quam impulsu devotionis illi non sunt ingressi, non sublimârunt? quin parum videbatur, dicatos jam Superis dies sanctissimè colere, novos etiam, publicùmq; Superis cultū intercessione suâ procurabant. O quoties in eorundem honorem exacti severis jejuniis dies, fraudatæ somno noctes, & cùm domi Auftriaca Pietas plenâ jam luce inclaruisset, itum etiam in exterarum regiones, Lauretum in agro Picentino, Oettingam Bavarix, frequentissimè in Styrorum Cellas Marianas, Hierosolymas etiam institutæ peregrinationes, ut terras easdem, quas victoriis Austria, publicâ quoque devotione illustraret. Sed unde cultum hunc, religionemque in DEUM & Cœlites tam constantem Austria fuit edocta, nisi à Divo LEOPOLDO, sancto suo Marchione? qui per vitam omnem à teneris annis in id unum incumberebat, ut dubium relinqueret seræ posteritati, plûsne sibi, an DEO vixerit LEOPOLDUS. Vix teneros egressus annos prætextam posuerat, cùm ille se totum DEO consecrare, divinas in laudes exardescere, obsequiis DEUM profequi, atque annos, quos cum cæteris nanciscebatur communes, singulari quâdam devotione, cultūque rerum cœlestium supra naturam & vulgus elevare. In aula quidem vitæ lucem auspiciatus, devotione tamen, & eximio in DEUM studio fulgere, quàm splendidissimis natalibus gloriosius duxit, quando pompam aulicam exorsus, paternam regiam in solitudinem, ducales honores in privata studia, & blandientis fortunæ illicia in plusquàm religiosæ domûs austeritatem commutavit. Quàm frequenter divina inter alloquia Princeps tenellus sui impos extra se sanctissimo mentis excessu rapiebatur? non rarò preces inter innocenti ore profusas suspiriis ab imo pectore ductis flagrabat, solatiisque cœlestibus non tam testibus lachrymis, quàm depluo è cœlo imbre liquefcebat: sæpiùs denique sub seram noctem ad lunam super ardorem parvi LEOPOLDI pallentem illatis cœlo oculis, compressis in crucem manibus clandestino quodam amoris magnetismo abreptus hærebat: sanctissimè nempe jam tum institutus, quemadmodùm gemmæ, turbulenti maris divitiæ, nunquam feliciores, nec pleniore luce in humanorum oculorum delicias excrescunt, quàm ubi firmiùs, tenaciùsque matrici conchæ sunt inclusæ, atque depluo è cœlis rore magis fœcundantur, ita teneros Principum animos nusquam efformari meliùs, quàm ubi non tam regnandi artes, quàm teneram in DEUM devotionem imbibunt tumultu aulico exclusi. Hæc LEOPOLDUS quidem teneris etiamnum in annis: sumptis subinde annorum augmentis, ea

Leopoldina devotio fumpfit incrementa , ut dies quilibet , & annus quivis alteri anno LEOPOLDUM tradiderit sanctiorem. Habet cæterùm id sibi blandientis fortunæ splendor , ut haud eâdem sede secum morari posse existimet pietatem ; tantùm tamen aberat error iste gravissimus à LEOPODO , ut meritò voces in dubium , sanctiùsne suo tempore Stephanus ac Ladislaus in Hungaria , in Bohemia Wenceslaus , Eduardus in Anglia , in Hispania Ferdinandus regias inter curas Superos coluerint , ac impenso magis studio , ardentioréque animo DEUM sint venerati. Adiêrat Divus LEOPOLDUS Marchionatum suum Australem parente , ob oris formam *Pulchri* nomen referente , jam fatis functo , dignus , qui imbellis imperâisset ; cùm studiosissimus ille quidem in tuendis patriis legibus , arcendis à Marchionatu injuriis , avertendis incommodis , ne vel usquam defuisse subditæ sibi Austriæ , vel Austria sibi deesse videretur ; inter gravissimas tamen , & continuatas solii curas nihil unquam LEOPOLDUS habuit antiquius , quàm DEI jura inviolata ubique & inconcussa Atlanteo quasi humero sustinere , incumbere in Religionem , DEI ministris prospicere , suo exemplo ad divinum cultum alios ardentius excitare ; ubicunq; cognoverat religiosissimum templum quoddam , eò adire , sæpe etiam pedibus , nec itineris labore , nec longinquitate locorum terreri. Utinam , *Senatus , Populêque Academice* , viveremus tempora illa , quibus Divus LEOPOLDUS sanctissimè Austriæ moderabatur , quàm stupeamus amoris vehementiam , & Æthnam amoris ex LEOPOLDI corde erumpentem , dum non creberrimè modò , sed sanctissimè sacræ accumbebat Synaxi , respectaremus attoniti : quibus vocibus infereremus cælo Leopoldinam constantiam , & vel nostra tempora illis compararemus , ubi Austriacis Principibus solemnem illam pietatem à Divo LEOPOLDO exorsam cerneremus , cùm jam tum LEOPOLDUS nullis curis , laboribus nullis eò valebat adduci , ut vel ulla diuturni imperii dies Marchionis sancti præsentiam à sacrosancta in ara liturgia esset passa desiderari. Illud tamen omnibus fuit admirationi , quod & Divino cultui , & rebus gerendis æquali laude satisfaceret , nec alterum alteri foret impedimento , quanquam præstare utrumque difficillimum videatur. Noverat quippe Marchio sanctissimus felicitatem regnorum in manu Numinis positam tum demum securam , incolumémque duraturam , cùm devotionis obvallatam teneret præsidio , pondusque omne regiminis , & momenta rerum in uno DEO constitueret. Inde fiebat , ut mutatas illico rerum vices , pulsas temporum calamitates , & creptos vitiis subditos intueretur. Nihil enim

enim est ad suadendum efficacius, quam exemplar jubentis. Quis namque non lucrum, non effrænatas cupiditates, non conscientia denique sua Numen reformidet, si Principis sui aulam ut aram devotionis, cultusque Divini sacrarium intraverit: quique Marchionem vidisset tanto in DEUM Superosque cultu exardentem, quantum non consulares agricolæ Curii & Fabricii, sed ne ipsi quidem veteres Christianæ severitatis cultores novêre.

Satis jam liquet, quantus Austriæ præfulserit LEOPOLDUS devotione in DEUM, cultuque in Superos: nullus jam erit, opinor, qui ambigat, an pariter liberalitatis & munificentia in pia opera subsecutura posteritati ediderit exempla; indissolubile quippe fœdus devotionem inter & munificam mentem nexuit pietas, si vires non desint devoto, ut possit esse munificus. Est illud cæterum insatiabili habendi cupiditati domesticum, larga sua æraria profundere, ut sordido quæstus genere eadem augeat sub falso virtutis imitamento munificentiam mentita; dispensat patrios census, avitas opes, aut quidquid præterea divitiarum in dominatrice domo opulentia reliquit, effundit non quidem in pauperes, aut in largitatis exempla posteros aliquando Principes oneratura, at ut antiquæ claritatis sobolem honorum gradibus attollat, aut vanæ deserviat ostentationi. Erant tum tempora illa, eaque constitutus effulgebat potentia LEOPOLDUS, ut ei aut infelicium provinciarum spoliis, aut censuum opulentia liceret opes suas augere; erant tempora illa, quibus non Principibus solum posteros suos, sed & se Romano folio inferere posset; erant denique illa, quibus ea liceret exequi, per quæ Austriacæ dignitatis opulentia que splendorem omni ostentationis pompæ que genere seræ transcriberet posteritati; tantum tamen ab his omnibus aberat LEOPOLDUS, ut non alio nisi munificentia in indigos, & dicata Superis templa Orbi inclarescere voluerit. Quis enim unquam egens & afflictus de iis, quos stipem ostiatim colligere jubebat egestas in ejus aspectum se dedit umquam, quin largo munere accepto recesserit ditior? iis verò, quos inopia sua pudere sciret, ingentem vim pecuniarum distribuebat. Confluxere in LEOPOLDI aulam, tamquam ad certissimum egestatis suæ asylum pressi & afflictæ omnes, quibus cum vestitum singulis & vitæ subsidia dedisset, tum enim verò hilares & ornatos dimittebat, optimè gnarus se nunquam amplioribus abundaturum divitiis, quam si sibi supremum Numen debitorem sacro munificentia fœnore obstrinxisset. Quantum deinde erat, quod Marchio sanctissimus Gener clarissimi, Socrus verò maximi Cæsaris ægro-

tos sæpenumerò inviferet, accederétque citra omnem nobiliffimæ mentis reformidationem, eisdem manus imponeret, confo-
laretur verbis, & ùt morbi malum exigebat, ita quemque dili-
gentiffimè curari imperaret? Filias subinde nobilium virorum,
ubi teneram egressæ sunt ætatem, LEOPOLDI munificentiam
educatæ, dotatas dabat in matrimonium, aut aliquo alio vitæ
genere collocabat: quàm multas verò jamjam cadentes, & pro-
pter egestatem omnem castimoniam abjecturas suis opibus su-
stentabat? Nemo denique omnium unus erat, quem in magnis
rei familiaris angustiis auxilium à quoquam, ùt est verecunda
quandoque egestas, expetere verentem suis facultatibus non
adjuvâisset. Verùm parum adhuc erat munifico Principis ani-
mo, semper in circumfluam egestatem liberaliffimas manus
extendiffè, relinquenda erant posteris monumenta, quæ æter-
nùm munificentiam Divi Marchionis loquerentur. Quan-
ta autem hæc, & quàm magnifica? Non ego hìc ibo per sin-
gula, compendio utar: testor vos ego erecta ad exornandas San-
ctorum exuvias elegantiffima Mausolæa, quæ jam aut edaci
tempori cessère in spolium, aut quæ veneranda antiquitate in
nostros dies producta spectamus: testor spectatiffimas Eccle-
sias Mellicensem, & Cellas Marianas, Sacrarium Virginis MA-
RIÆ miraculis Orbe toto celeberrimum, & Aram salutis, quas
inchoatas & ad culmen perductas ab aliis, munificentiam suam or-
navit, novisque redivitavit LEOPOLDUS: testor cele-
berrima duo Austriæ religiosiffimorum virorum domicilia, ad
Danubii ripas, in Valle alterum Nemorosa extructum, quæ
à fundamentis inchoata Beatiffimæ Dei Parenti sacra esse vo-
luerat: testor denique exhaustam propè ærarii opulentiam, quæ
Ille sic Religioni, Ecclesiis, Sacerdotumque Collegiis prospe-
xit, ut, quocunque obtutus convertamus, in totidem suprema
Leopoldinæ munificentiam monumenta incurramus. Quid?
adeo munificus semper LEOPOLDUS, ut, cùm invida mors
Eidem benefaciendi statueret modum, etiamnum è cælo certif-
simus opitulator miseris, egentibusque impertiat opem. Vel-
lem hìc ego, ut vel lapides ipsi, qui sanctiffimas Divi Marchio-
nis reliquias posteritati conservant, pendulamque circum anathe-
mata, accepti beneficii testes, munificentiam LEOPOLDI de-
prædicarent, aut resurgerent suis ex umbris illi omnes voto
damnati, quòd prodigiosam LEOPOLDI munificentiam essent
periclitati, ingens certè turba in tuas laudes, Marchio sanctiffi-
me, effunderetur, ùt Te sospitatore suus oculis redditus sit visus,
auribus auditus, mutæ prius, balbutientiq; linguæ vocis sonus.
Grato cæteri animo enarrant, ùt ope Tuam claudis mutilisque pedi-

pedibus suis rediêrit usus, ut ab aris focisque Tuis precibus ar-
 cuerint flammam, ut feliciter aquæ periculis essent defuncti;
 alii denique celebrarent, quàm promptus gravissimo quibusque
 morbo decumbentibus succurreris, quoties morti proximos
 priori restitueris valetudini, quàm potenter dæmones humanâ
 sede exturbâris, quin quoties mortuis ipsis restitueris vitam.
 Munificum proinde Te Marchionem, Sanctissime LEOPOL-
 DE, qui non cum Augusto duntaxat munificentissimo Impe-
 rii Romani auctore, sed cum Constantino illo Magno, cum
 Theodosiis, cum omnibus Regibus & Principibus, quorum est
 celebrata in pia opera religio & munificencia, certare videba-
 ris! ut cerneret nempe fera Tua posteritas, Austriacis nihil mu-
 nificentiam antiquius esse debere: Quam quidem quanto studio
 sint æmulati, quis verbis unquam satis exprimat? Tanta pro-
 fectò Austriacorum Principum extitit munificencia, ut non
 diem modò omnem cum Tito munificentissimo illo Cæsare, sed
 vel horam omnem, quâ non largam manum egenis, piisve cau-
 sis impendissent, perditam arbitrarentur. Vestrâ, *Senatus, Po-
 pulûque Academice*, abuterer patientiam, si irem per singula; An-
 nales enim & fastos Liberalitas Austriacorum exigit. Quæ
 enim Provincia, aut quod Regnum Austriacæ potestati subje-
 ctum, quod non quàm plurima munificentiam monumenta osten-
 taret? quæ urbs solemnior in regnis, quæ in urbibus Ecclesia,
 quòdve Sacerdotum Collegium, Deoque dicatum Templum,
 quæ regio, quis terræ angulus, qui non Austriacos Principes
 fundatores, auctoresque haberet? Jam verò quàm profusa
 numquam non in egenos munificencia? quin Regna, integras-
 que Provincias Regibus atque Principibus exteris dare solùm
 Austriacorum erat. Tacebo igitur, quoties exhausta ferè æra-
 ria, ut complurium religiosorum virorum domus extruerentur,
 & augerentur reditus; quoties grata vis illata in vectis per pla-
 teas Austriacis Principibus ab afflua pauperum manu; quan-
 tis dein opibus aucti, quicunque ad Austriacam munificentiam
 appellarent: hæc, inquam, silentio præteribo, quando facun-
 diam infacundi oratoris excellunt: illud duntaxat annotabo, ita
 sibi Austriacos Principes propriam fecisse in pia opera à Divo
 LEOPOLDO fundatam Munificentiam, ut munificentissimi
 suos in Ægyptios Nili originem, quàm Austriacorum Princi-
 pum liberalitatis principium finemque, facilius sit invenire.

Ad tertiam jam Austriacis domesticam ferè, & à Divo suo
 Marchione LEOPOLDO fundatam virtutem progredior, Cle-
 mentiam: seu deinde illam, quæ Principum manibus præ justis
 fulminibus, ferròque oleam inserit, seu illam, quæ in bene me-

ritos gratissimos se se exhibere Principes jubet. Fuerunt sanè in utroque Clementiæ genere Cæsares Auftriaci principes, dum Solem æmulati clementissimos in subjectos sibi subditorum animos, nil etiam tale quandoque merentes, præstitère influxus. Armavit, non nego, Justitia Auftriacos Principes vindicti gladio, quia Clementia & Justitia amicæ sibi sunt virtutes, vicissim se fovent, ornant, augéntque mutud, alteráque alterius conjunctione velut palma & crescit, & lætatur; verùm ita armavit, ut Clementiæ semper palmam cesserit Justitia. O quoties immanitate scelerum territus est Auftriacus Orbis, cùm audiret fuisse, qui sacrilego ore famam Auftriacorum Principum lacera-
rent, qui auro, spebúsque hostium conducti urbes integras traderent perfidiæ, qui ambitione incitati regna procabantur, qui conductis sicariis, paratis venenis, impiis fraudibus, nefariis conjurationibus in vitam eorundem conjurarent. Toties autem admiratione obriguit, cùm intelligeret, Auftriacos Principes tantas etiam injurias, si rei pœnitere poterant, non ulcisci. Nihil scilicet eorum altiùs cordi insertum, atque illud Antonii Pii Imperatoris, præstare vel unum civem peccantem servare, quàm mille hostibus vitam adimere. Bonus siquidem Princeps humanum sanguinem, ceu Medicus, tanti putat, ut eundem nunquam eat deperditum, cùm valet conservare. Et tanta quidem clementia Auftriacorum semper fuit in reos, quanta autem in communes subditos mansuetudo, quantus amor? Una profectò Auftriacis gubernandi regula subditorum incolumitas; ex hac sanciebant fœdera, bella inibant, feriebant pacem, agebant denique omnia, si id publicæ rei conducere, felicitatíq; subditorũ. Quin non modò vultu ipso benignitatis & clementiæ amœnitatem spirabant, sed eandem toto quoq; pectore gesserunt, quando illa cum benevolentia significatione egère cum suis, ut quod oculis spectârunt subditi, corde contineri quantocyùs crediderint, & quod corde contineri crediderunt, se spectare coram sunt gavisi. Sed quid ego imprudens tanto Clementiæ oceano me immitto Orator? novas hoc unum Auftriacæ Clementiæ argumentum postulat panegyres: Tibi solùm Austria de pulcherrima hac tua domestica, & innata virtute gratulor, quòd eandem tuas inter retuleris, auxerisque, quam Divus tuus LEOPOLDUS fundavit, quàmque semper sic coluit, ut si quando sine cætera virtutum corona videri poterat, nunquam tamen sine Clementiæ comitatu. Non reis enim modò ille (quamquàm essent paucissimi, cùm amor omnium esset LEOPOLDUS, nec inveniret quidquam in Divo Marchione perfidia, cui obirasceretur) benignissimam veniam indulgere consuevit, sed concitatos quandoque

doque in se animos promissis etiam gratis componere & delinire. Sic quidem LEOPOLDUS clemens cum esset in hostes, clementissimum nonne experti sunt subditi? ad quem frequentissime patebant aditus, & ad cujus munificam, clementemque manum de Republ. bene meriti omnes, quin immerentes quoque; tamquam ad certissimum clementiae asylum sic accedebant, ut non nisi clementissime ab eodem donati redierint. Non igitur, *Senatus, Populæque Academice*, nobis obstupescendum, quod adeo gratissimos meteret subditorum suorum affectus Marchio sanctissimus, cum tam multiplicia spargeret Clementiae argumenta. Hæc enim, cum loqueretur, ferocientem populum fecit elinguem, hæc, ubi ipse summus infimorum audiret querelas, eosdem in sinum suum recipiebat, hæc ductrice, cum recte ageret ipse singula, omnia recte agenda, faciendaque cives edocebat: hæc, cum statuendæ occurrerent patrio bono leges, & vivendi regulæ, præibat ad consilia; cum stringendus esset justitiæ gladius, mansuetudinis innectebat oleas; cum laborem imperabat communis necessitas, facem exempli accendebat; Hæc denique Clementia antecedebat, comitabatur, sequebaturque ubivis LEOPOLDUM.

Verum silentium jam balbutienti etiamnum, & in Laudes Aultriacæ Pietatis non ornatae satis facundiae meae impono; illustriorem utique Tibi, Dive LEOPOLDE, panegyrim opulenta magis, felicioraque ingenia extruent. Habes Tu interea laudem & fructum meritorum Tuorum, qui virtutis regulam præeundo effecisti, ut pietatis ejusdem, quam domesticam Habsburgo-Austriacis in Principibus suspicimus, & quæ Austriam toti Orbi magnam reddit & admirandam, semper habitus fueris, habendusque sis Author & Fundator. Illud solum addam: eant nunc, eant Principum veteratores, rerum politicarum antagonistae, negent etiamnum Devotionem, Munificentiam, Clementiam, cæterumque virtutis ornatum decere Principes; dicant, non suffragari expeditionibus armorum, non consiliis reipublicæ, non gloriae incrementis Pietatem; agant, Sanctimoniam nullibi gloriosam nominis famam transcribere posteritati: credant, supervacaneam Religionis curam abire in superstitionem, licere in ejusdem professione vertumnum agere, solum bello armisque magnum parari nomen: non ita Tu, gloriosissime Marchio, Dive LEOPOLDE, credebas, qui Virtutis Pietatisque normam Tibi, Austriæque Tuæ putabas præfigendam, quâ pronubâ Tibi Fundatoris Austriacæ Pietatis nomen merereris, seram autem posterorum hæreditatem unâ ad augustissimæ gloriae apicem,

D 2

atque

atque ad eximium DEI cultum fortiter, constantérque erudi-
 res. Hac profectò pietate præstitisti, ut corona illa Impera-
 toria, quam demissio Tua tunc declinavit, meritis nihilominus
 & virtutibus Tuis in posteris à Te fundatis & quotidie auctis
 prono cursu devoluta in Austria denique cœperit, in quam
 dudum antea inclinaverat, sedem optatissimam. Gratias pro-
 inde Tibi, Dive LEOPOLDE, boni omnes, & præprimis Au-
 stria Tua Tibi refert, quòd in virtutibus Austriacis talem nobis,
 totique Nationi Austriacæ reliqueris anchoram, quâ semper
 spes nostra medios inter fluctus ac procellas firmare possit Rei-
 publicæ navem: Gratias Tibi, quòd pietatem fovendo, atque
 in Te ipso exprimendo Austriæ præscripseris normam, quâ Or-
 bi universo evaderet admiranda: Gratias, quòd novis accessi-
 bus eandem in subsecuturis Principibus auxeris & conservâ-
 ris. Sed pene inter gratias perorâssem, consumptúsque inter
 grati animi affectum clausissem panegyrim, nisi nova quædam
 vota me ad Te convertere compulissent. Age, Dive LEO-
 POLDE, Austriæ, Austriacorumque Principum Tutelaris San-
 ctissime! ultimus jam superest Austriæ Tuæ Princeps, virtu-
 tibus Austriacis Tibi simillimus, Clementissimus, Munifi-
 centissimus, & Religiosissimus Princeps: et tunc, qui cœlis il-
 latus curam Austriæ Tuæ non dedignaris, ut perturbata belli
 motibus Europa sub Austriaco hoc Principe pacem perenni-
 ter duraturam aspiciat, ut, domitâ hostium ambitione, lætus
 suis moderetur, ut incolumem, Imperatoriâque coronâ orna-
 tum Austria Tua intueatur. Perge constanter Domum hanc
 Augustissimam defendas, nec Imperium Tuum ambitionis
 fraude angustius, quàm antea vigeat, constringi concede.
 Videat, Te Duce, & Auspice, uterque Titan CAROLUM
 Augustissimum Dominum, Illúmque oriens & occidens ad-
 salutet. Da denique Dive LEOPOLDE, Principi huic Au-
 striaco dignum superis munus, Austriacis Tuis hæredem sub-
 mitte, qui vastissimo Imperio succedat, & quotidianis incre-
 mentis Virtutes Austriacas augeat, quarum Te, Marchio
 Sanctissime, Authorem fuisse & Fundatorem

D I X I.







